



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

Dissertatio VIII. In Historiam Ecclesiasticam. De Religiosis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)



DISSERTATIO VIII.

IN

HISTORIAM

ECCLESIASTICAM.

DE RELIGIOSIS.

§. I.

Origo Monachorum Ægypti.

Totum per decursum historiæ hu-
jus de origine ac progressu vi-
tæ religiosæ, prout occasio tulit,
locutus meas tantæ rei consideratio-
nes unam in dissertationem colligen-

Histor. Eccles. Tom. XXIV.

A das

das censui; eamque posui decimo quarto in seculo, quod maxime inclinatum vidit tam sanctam institutionem.

*Matth. c. 19.
v. 11. 21.*

Quisquis Evangelii mentem novit, haud potest dubitare, quin Deus instituerit religiosæ vitæ professionem, utpote cujus cardo vertatur in sequendis duobus Christi consiliis colendæ integræ continentiæ ac paupertatis omisso matrimonio, abdicatisque bonis profanis. Strenue id fecisse cernimus SS. Antonium, Pachomiumque, ac reliquos Ægypti Monachos, quos & priscorum ætas omnium perfectissimos agnovit, & quod consequitur, cunctis seculis imitari debent ii, qui religiosam perfectionem promotam volunt.

*L. 20. §. 3. 4.
Etc.*

Præter singulares vitas permultorum his e Sanctis habemus in operibus Cassiani, præsertim in ejus *Institutionibus* sedulo descriptam illorum rationem vivendi: quam in Historia memoravi; & quæ quatuor rebus præcipuis continetur; solitudine, labore, jejunio, ac precatatione.

Soli-

Solitudinem, a qua Monachorum nomen traxerunt, amabant tantam, ut non modo aliorum hominum societatem, sed & loca frequentia fugerent, agerentque in desertis. Hæc autem non erant, ut multi putant, sylvæ amplissimæ, vel aliæ terræ derelictæ, quæ subigi, colique potuissent. Erant loca non inculta tantum, verum etiam inhabitabilia; inmensæ planities sabulorum arenarum, steriles montes, rupesque ac scopuli. Hærebant in locis, ubi videbant aquam; & ex juncis, aliave materia levi cellulas ibi suas construebant: quo ut veniretur, multorum sæpe dierum iter faciendum erat per solum vastissimum. Nemo illis obstitabat: nullo cujuscumque consensu in collocandam ibi sedem habebant opus: nec nisi multo post, cum in urbes usque pervenissent Monachi, Concilium *Hist. l. 27.* Chalcedonense prohibuit, ne quod *S. 22.* monasterium sine permisso Episcopi conderetur.

Labor manuum cum vita monastica arctissime connexus censebatur:

A 2 &

Hist. 1. 19.
6. 25.

Gen. 2. v. 15.

1. 3. v. 19.

Marci 6. v. 3.

& ob laboris fugam potissimum damnati sunt Massaliani hæretici. Veri Christiani considerabant, hominem primum ut innocentem a Deo in paradiso terrestri positum, ut istum coleret, deinde in peccati pœnam arare terram, & in sudore vultus pane vesci iustum esse; maximos legis antiquæ Sanctos fuisse pastores & agricolas; Christum denique ipsum mortalis vitæ suæ dimidium in arte serua & operosa egisse, sancto cum Josepho laborantem. Nec enim apparet eum aliud fecisse a duodecimo ætatis anno usque ad trigésimum. Et vero non solum fabri lignarii filius, sed faber ipse vocabatur. Ita nos exemplo suo docuit universum genus humanum vocatum esse ad laborandum in silentio; nisi nos accersat Deus ad quandam functionem publicam in bonum proximi.

Hi primi Monachi suo in labore duos maxime spectabant fines; scilicet ut evitarent otium, tædiumque solitudinis alioqui non levandum, & ut

ut lucrarentur, unde viverent nemini graves. Nam S. Pauli dictum, *Si-2. Theff. 3. 10* quis non vult operari, nec manducet, accipiebant ad litteram, non interpretationem, non expositionem quaerentes ullam. Eligebant vero labores faciles, & cum tranquillitate animi sociabiles; qualis erat confectio storearum & corbium apud Monachos Ægyptios. Syri S. E-*Hist. l. 17. §. 3* phremo teste faciebant etiam funes, *Ephr. pavan. 47.* chartas, telasque. Immo haud pigebat aliquos versare molam, ut mancipia miserrima. Agellos qui tenebant colebant ipsi: sed malebant artes, quam fundos, quippe qui postularent curas capiendarum ex frugum, querelasque ac lites accirent.

Redeo ad Ægyptios omnium perfectissimos, optimeque cognitos ex relationibus Cassiani. Jejunium *H. A. l. 20. §. 8* servabant totum per annum exceptis *C. 1. ff. Coll. 21. c. 23.* dominicis ac tempore Paschatis. Sive autem adhibebant jejunium, sive non: ex pane & aqua constabat omnis eorum victus, quem post longa

experimenta statuerant. Etiam quantitatem panis decreverant pro quavis die, nimirum libram Romanam, seu duodecim uncias, quas comedebant duabus in cœnulis: alteram hora nona (quæ nobis est tertia pomeridiana) alteram sub crepusculum sumebant. Discrimen dierum, qui non erant esuriales, consistebat in anticipatione prioris cœnulæ sub meridiem; neque pani addebant quidquam: volebant vero quotidie alimentum capi.

Hæc erat omnis eorum afflictatio: nec cilicia, nec catenas, nec ferrea gestabant collaria, ut quidam Monachi Syri: nam de flagellorum ictibus nulla adhuc mentio facta fuerat. Ægyptiorum severitas sita erat in perpetua æquabilissimæ vitæ ratione, quæ naturæ durior accidit, quam summarum asperitatum, & relaxationis cujusciam vicissitudo. Certe in bello miles omne fatigationum genus tolerat, dum sperat diem quietis ac lætitiæ.

Pari

Pari moderatione constituta erat precatio Monachorum Ægypti. Ad preces communes intra horas viginti quatuor bis solummodo conveniebant, nempe vesperi ac noctu. Utroque tempore recitabant duodecim Psalmos; cuilibet addebant precationem; & in fine duas lectiones e sacris litteris subjungebant. Duodecim Fratres in medio conventu stantes suum quisque Psalmum per vices canebant: cæteri cuncti auscultabant sedentes alto in silentio, ne pectus, aut corpus reliquum fatigaret; quod eorum jejunium, laborque continuus non permittebant. Ad preces convocabantur per inflatum cornu bubulum ferviens pro ære campano, & in silentio vastarum solitudinum sufficiens: ac stellæ, quæ in Ægypto semper conspiciuntur, illis erant pro horologio: cum eorum paupertate omnia congruebant. Reliquo die in cellulis suis fundebant preces inter laborem,

l. 2. c. 14.

tiones mentis aptius esse assiduis occupationibus : ita tendebant ad animi puritatem, cujus præmium foret conspectus Dei. Eorum pietas pyramidibus, ut ita dicam, cæterisque veterum Ægyptiorum operibus erat similis; nempe grandis, simplex, ac solida. Talem ducebant vitam hi Monachi a Sanctis maximis in tanto habiti pretio. Divus Basilus, qui eos per se ipsum cogniturus tam longa suscepit itinera, dicebat illos vivere velut in carne aliena, & per effectus monstrare, quid sit esse peregrinum in terra, & civem cœli. Vidisti, quomodo S. Joannes Chrysostomus eos prætulerit ethnicis Philosophis, & contra vituperatores ipsorum instituti per tres libros hac super re scriptos defenderit. S. Augustinus illos dilaudabat in diversis locis suorum operum, speciatim in commentatione Morum Ecclesiæ catholicæ, illic provocans Manichæos ad impugnandâ, quæ de illis affereret, mirabilia.

Matth. 5. 8.

*Hist. 1. 14. §. 1.
Ep. 79.*

*Hist. 1. 19.
§. 4. 8.*

§. 17.

§. 31.

§. II.

§. II.

Regula S. Benedicti. Canonici.

Vita monastica se per universum brevi orbem Christianum extendit: ac multitudo Monachorum tanta fuit, ut in Ægypto sola, ubi tam perfecti erant, a fine seculi quarti amplius septuagies sexies mille numerarentur sine iis, quorum recensionem non habemus. S. Benedicti Regula nos clare docet vitæ monasticæ statum in Occidente: & quod memorabile, magnus hic Sanctus non eam dabat ut exemplar perfectionis, sed duntaxat ut parvum quoddam principium longe distans a perfectione seculorum superiorum. Quæ res indicat; quantum remiserit fervor postea, cum hæc Regula videretur severa nimium; & quam remoti a ratione instituti sui fuerint illi, qui tot mitigationes ei adhibuerunt.

S. Benedictus credebat magna se indulgentia fuisse usum concedendo

A 5

Mo-

*Hist. l. 32.**§. 14.**Reg. S. Ben.
prolog. §
cap. ult.*

Monachis parum vini, duosque cibos præter panem, nec totum per annum eos ad jejunium adstringendo: & S. Gregorius Papa, qui vivebat eodem seculo, & hanc regulam observabat, speciatim laudat ejus moderationem. Sed natura corrupta malas semper rationes invenit, ut blandiatur sibi, & laxamento tribuat authoritatem. Nos eas postmodo examinabimus: hic solum addo factius esse manere in statu vitæ communis, quam tendere ad perfectionem per viam imperfectam.

Interim formata multis in Ecclesiis erant collegia Clericorum agentium vitam, quæ ad similitudinem vitæ monasticæ accedebat, quatenus haud obstabant eorum functiones. S. Eusebius Vercellensis suum Clerum sic vivere primus, quem sciamus, docuit: & S. Augustinus sequebatur illius exemplum, ut apparet ex duobus ejus sermonibus de communi vita. Hi Clerici vocabantur Canonici: atque sub medium seculum septimum S. Chrodogangus Metensis
Epis-

Hist. l. 13.

S. 14.

Hist. l. 24.

S. 40.

Hist. l. 43.

S. 37.

Episcopus eis tradidit regulam: quam postmodum receperunt Canonici omnes, sicut Benedictinam cuncti Monachi. En duo Religiosorum genera, Clericorum alterum, alterum laicorum: nam tales erant Monachi plerique. Hi ex suo instituto incumbabant in privatam salutem suam, seu conservando innocentiam, seu vitam licentius actam acriter vindicando. Clerici communiter viventes imitabantur vitam monasticam, ut sibi caverent a tentationibus vitæ ætuoſæ, & consuetudinis cum hominibus profanis.

Ineunte seculo nono, ac trecentis fere post S. Benedictum annis Monachi ab accurata observatione regulæ longissime recedebant: quia monasteria totum per Occidentem sparsa, cum sui singula juris essent, diversos sensim usus rerum in regula non scripturarum, veluti coloris ac formæ vestium, & qualitatis ciborum recipiebant, obtendebantque disciplinæ laxamento. Ad medendum *tom. 7. Conc. p. 1505.* malo Aquisgrani anno 817, cum re-
gnare

gnare cœpisset Ludovicus Pius, præscriptum condidit S. Benedictus Abbas Ananiensis cum multis aliis Abbatibus ex toto Imperio Gallico. Commendatur ibi labor manuum, quone Abbas quidem eximitur: & pauci adhuc Sacerdotes fuisse inter Monachos videntur. Anno priore 816 multi Episcopi eodem in loco præfentes Canonicis tradiderant regulam, quæ velut extensio quædam est illius, quam S. Chrodogangus composuit; missaque totum per Imperium, & pluribus seculis observata fuit.

*Hist. l. 46.
§. 28.*

Ibid. n. 22.

§. III.

Ordo Cluniacensis.

At reliquo seculo nono, & ineunte decimo vastationes Normannorum, & universales inter Christianos hostilitates evertabant multas Ecclesias, & pleraque monasteria: ut liquet ex querelis Concilii Troslejani anno 909 habiti. Observatio disciplinæ monasticæ in Occidente propemq-

*Hist. l. 54.
§. 44.*

*20.9. Conc.
p. 510.*

pemodum extincta erat: cum fuscitati a Deo Viri Sancti velut novum ei principium ardente studio dederunt. Sequenti anno 910 Guilielmus Aquitaniæ Dux Monasterium Cluniacense condidit, & Abbati Bernoni gubernandum commisit: qui utens ope Monachi Hugonis ex Augustodunensi ad S. Martinum cœnobio evocati, Benedictinæ Regulæ observationem purissimam a majoribus ad posteros transmissam, nonnullis in monasteriis conservatam, & quodammodo per manus traditam excepit.

Ibid. p. 565.

*Hist. l. 54.
§. 45.*

Bernonis successor S. Odo Cluniaci constitutionem perfectam reddidit, illique junxit multa cœnobia, quibus præerat; & ubi eundem teneri ordinem, eandem scilicet observationem curavit: unde postea perfectum est nomen Ordinis, & applicatum variis societatibus eandem sequentibus regulam: velut dicitur Ordo S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci, & aliorum. Cluniacensi celebritatem ingentem conciliarunt primi Abbates

*Hist. l. 55.
§. 24.*

Abbates sui S. Majolus, S. Odilo, S. Hugo virtute ac doctrina illustres. At ducentis post annis in magnam obscuritatem delapsus est: nec ibi video Virum eximium ab ætate Petri Venerabilis.

Duas rei causas comperio, divitias, & multiplicationem precum vocalium. Primis Cluniaci Abbatibus singularis præstantia sua comparavit existimationem amoremque Principum, Regum ac Imperatorum, qui beneficiis eos cumularunt. Horum numerus a tempore S. Odonis erat tantus, ut eorum membranæ veteres centum octoginta octo supersint. Timendum, ne hi Sancti non satis reputaverint secum difficultates opum tam bene memoratas in Evangelio, ipsisque Philosophis ethnicis cognitatas. Locupletes natura superbiunt, persuasum sibi habentes, se neminis egere auxilio, nec aliquid unquam sibi defore. Quapropter Apostolus Timotheum monet, ut exhortetur divites, ne magnos fumant spiritus, nec suam spem ponant in opibus

*Hist. l. 55.
c. 24.*

1. Tim 6. 17.

pibus incertis. Multa bona multas accerfunt curas, ut conferventur: & istæ curæ vix jungi possunt cum tranquillitate contemplationis, quæ debet unicus esse finis vitæ monasticæ: sic in cœnobio divite saltem Præpositus & illi, qui eum in tractandis negotiis adjuvant, se pæne non amplius esse Monachos vident; si sensum animi habent cum instituto suo congruentem. Accedit, quod sæpe amor sui se obtegat specioso sub nomine boni communis; & Procurator, sive Cellarius suam propensionem ad rerum congeriem aut parimoniam sequatur, nihil inde peculiariter ad se redire perhibens.

Opulentia communis etiam privatis est periculosa. In Abbazia viginti Monachorum tricies mille libras quotannis percipientium quilibet est superbior, quod se tam magni redditus participem sciat; sentitque stimulos spernendi societates pauperes, ac Religiosos ex instituto suo mendicantes. Vult ex opibus domus suæ capere fructum, & privatum com-

com-

commodum: vult ali, vestiri, & habitare tam bene, quam licet; ac interdum melius. Id accidit Cluniaci, ut patet ex defensione S. Bernardi. Monachi victitabant, quam sine carnis poterant, lautissime; summique pretii pannos ad vestes adhibebant suas: Abbates faciebant itinera cum equestri famulorum turba, præclaroque apparatu: templa erant exstructa magnifice, ac splendide ornata; & monasteria secundum proportionem.

Altera laxatæ regulæ causa erat multiplicatio precum, psalmodiarum cantus scilicet, aliarumque precationum vocalium: nam multas addiderant illis, quas S. Benedicti regula præscribit: ut apparet ex Cluniaci consuetudinibus quas S. Udalricus litteris mandavit sub finem seculi undecimi superstes. Adjunxerant inter alia officium pro mortuis, cujus authores erant; & quod per annum totum canebant. Longus hic psalmodiarum cantus eis adimebat tempus laboris manuum, ut fatetur Petrus Vene-

*Hist. 1. 67.
S. 49.
Opusc. 5.*

*Hist. 1. 63.
S. 60.
Spicil. to. 4.
p. 21.*

Venerabilis ad ea, quæ S. Bernardus
objecerat, respondens. Regula, in-
quit ille, duntaxat eum præcipit otii *Hist. 1. 67.*
fugiendi causa: quod vitamus com-
plendo tempus nostrum sacris exer-
citiis precum, lectionis, & psalmodum
cantus. Quasi vero S. Benedictus
non sat spatii eis assignasset; nec so-
lidas habuisset rationes statuendi plus
septem horas integras laboris.

Forsitan Petrus Venerabilis &
illi, qui cum eo sentiebant, falleban-
tur præjudicata opinione sui tempo-
ris; & corporis laborem censebant
esse occupationem abjectam & servi-
lem. Non ita judicabant Veteres:
ut alibi ostendi: atque ut Israëlitas, *Mor. 1/4.*
aliosque ad Ortum populos omit-
tam: Græci ac Romani eum honori-
ducebant sibi. At Germani & bar-
bari ad septem triones venationibus
tantum bellisque se occupare soliti
agriculturam & artes despiciatui sem-
per habuere: ut in moribus nostro-
rum Nobilium etiamnum cernimus.

§. IV.

Ordo Cisterciensis.

Post ducentos annos a condito Cluniacensi cœnobio suscitati a Deo alicui Viri magni primitivum Benedictinæ regulæ vigorem restituerunt, scilicet Authores Ordinis Cisterciensis, præsertim S. Bernardus, quem sui seculi miraculum censeo. Videbatur fuisse Deo complacitum in eo solo conjungere omnia naturæ & gratiæ præsidia, nobilitatem, virtutem parentum, pulchritudinem corporis, animi perfectiones, ingenium acutum & perspicax, iudicium subtile ac solidum, generosam indolem, excelsas cogitationes, fortitudinem non vincendam, voluntatem rectam, & constantem. Adde his naturæ dotibus probam educationem, litterarum studia, quam tum collocari poterant, optima, seu artes ac scientias humanas, seu religionem spectes, divini codicis meditationem continuam, creberrimam lectionem Patrum,

Hist. l. 64.

§. 64.

l. 66. §. 21.

trum, eloquentiam vividam & nervosam, dicendi formam revera ornatam nimium, sed illius seculi genio accommodatam. Adjunge effectus gratiæ, demissionem profundam, charitatem nullis terminis circumscriptam, flagrans honoris divini studium, denique facultatem edendi opera humanis majora viribus.

Fatendum tamen eum non temperasse satis fervori suo in iis, quæ ad valetudinem attinebant: hanc enim nimia inclementia celeriter afflixit: & vidimus, quæ illius cura suscipienda fuerit illustri amico suo Guilielmo Camposio. Facio pluris Ægyptios, cæterosque Monachos antiquos, qui afflictationes corporis tam bene aptare sanitati noverant, ut multi centum fere annos viverent.

Hist. l. 6r.

§. 24. 43.

§. V.

Fratres laici.

Sanctus Bernardus admodum amabat laborem manuum apud Cister-

B 2

ster-

stercienfes ferio inftauratum : fed inducta inter eos fuit res nova, quæ poſtea diſciplinam minuit, ſcilicet diſcrimen inter addiſtos choro Monachos, & fratres laicos. Regula nullam ejus mentionem facit: & uſque ad ſeculum undecimum Monachi præſtabant ipſi omne ſibi mutuo ſervitii genus, & iisdem cuncti laboribus ſe occupabant.

Hift. l. 61. §. 4
l. 63. §. 58.

Mabil. præf.
2. Sac. n. 9.
Annal.

S. Joannes Gualbertus in Vallis Umbroſæ monaſterio, quod ſub annum 1040 condiderat, Fratres laicos inſtituit primus. Ratio probabiliter fuit ignorantia laicorum etiam nobilium, maxima ex parte legere neſcientium: ut adeo, cum ſermo Latinus non eſſet communis amplius ſicut tempore S. Benedicti, nec pſalmos memoriæ mandare, nec e lectio nibus divino ſub officio conſuetis capere fructum poſſent: contra vero Monachi plerique tunc erant Clerici, aut ad ſacros Ordines deſtinati. Sed ii, qui diſtinctionem iſtam introducere, haud conſideraſſe videntur, ad ſummam perfectionem perveniri poſſe

posse sine ulla litterarum notitia. Pars major veterum Ægypti Monachorum, & omnium primus S. Antonius non sciebant legere: ad quos profectus S. Arsenius, Calleo, aiebat, Græcorum, Romanorumque scientias: sed hujus senis, quem tam rudem creditis, alphabetum adhuc ignoro. Igitur hi fratres laici laboribus manuum, curandis rebus rusticis, negotiisque extraneis occupabantur: pro quavis parte pensi ecclesiastici præscriptus eis erat certus numerus recitationum precationis dominicæ: quem ut observarent, gerebant grana filo trajecta: unde ortæ sunt globulorum sacrorum series. Vestiebantur paulo aliter, ac Monachi, promittebantque barbam, ut laici reliqui. Ejusmodi fratres jam inde ab initio habebant Carthusiani, Grandimontanique Monachi, sicut Cistercienses: & cuncti Ordines religiosi postea nati exemplum eorum sequebantur. Tandem id etiam in parthenones transit; ubi discrimen fit inter Virgines designatas ad chorum, & sorores

res famulas : quamvis non ibi par sit ratio : cum plerumque non illæ magis quam istæ linguam Latinam intelligant.

Hæc , inquam , Regularium distinctio multum diminuit disciplinam. Monachi ad chorum destinati, cum fratres laicos infra se cernerent, eos tractabant ut rudes, incultos, servosque suos : se vero Dominos putabant : sic enim sonat *Dom* imminutum ex *Dominus* sive *Domnus* ; quod in Italia Hispaniaque adhuc est titulus Nobilium. Neque hunc credo inveniri datum privatis Monachis ante seculum undecimum : saltem regula *S. Benedicti* soli eum Abbati tribuit. Ita que hoc maxime tempus est, a quo laborem manuum se indignum censebant, satis se precationibus ac litterarum studiis occupatos rati.

Reg. c. 63.

Ex altera parte fratres laici obstabant perfectæ concordæ in monasteriis, cum ex duobus corporibus tam diversis essent composita. Fratres

tres carentes litteris, ac sæpe minus liberaliter educati dominari interdum volebant velut cœnobio magis necessarij ob curam rei domesticæ, quippe sine qua spiritualis consistere nequeat, cum vivere sit opus, antequam precibus ac litteris opera detur. Vidisti Lector, *Hist. l. 75. §. 28.* quid acciderit in Ordine Grandimontano sub Papa Innocentio III; & quomodo hic coactus fuerit reprimere insolentiam fratrum etiam rem spiritualem ordinare cupientium. Nec unquam satis ex illo diffidio se recollegit Ordo. Talibus exemplis probabiliter adscribendum, quod cuncti generatim Religiosi soleant fratres laicos in omni submissione arctissime continere: quod difficulter ita faciunt, ut se supra eos non efferant: tutior erat æqualitas regulæ Benedictinæ consentanea.

§. VI.

Monachorum studia.

Monachi omisso labore manuum studia litterarum esse occupationem se digniorem existimabant: præterquam quod illos per quandam necessitatis speciem ad ea impelleret incitiam secularium etiam Clericorum. Decebat illos potissimum divini codicis & Patrum lectio, verbo, Theologia: qua in re S. Hieronymum, aliosque Monachos veteres imitati essent: verum a seculo octavo & nono litterarum genus omne amplexi sunt: ut inter alios in Alcuino cernimus. Jungebant Theologiæ Canones, quæ partem eruditionis ecclesiasticæ faciunt, sed Episcopis, ac Sacerdotibus ad regendos populos destinatis convenientiorem. Monachi tamen huic se strenue impendebant: ut videmus in celebri Gratiano scriptore Decreti: atque hoc studium accersit commentationem Juris Civilis, præsertim post re-
ta

ta Digesta, cæterosque Justiniani libros.

Sed & aliud a suo statu alienius studium nempe Medicinæ capessabant Monachi. Rigordus Monachus Dionysiofanensis erat Physicus, sive Medicus Regis Ludovici Crassi, cuius historiam scripsit: & S. Bernardus loquitur de Monacho sui Ordinis hac ex arte clarissimo. Credi-derim cœpisse Monachos huic operam tradere per charitatem in ægros: sed hos invistentium animi semper in cogitationes varias distrahebantur. Idem dicendum de Jurisprudencia, quæ saltem consultationes acciebat.

Si vero hæc studia inchoaverant per charitatem, continuarunt ob commodum; sive ut bona cœnobii, aut sanitatem servarent suam; sive ut pecuniam lucrarentur: veluti fecissent homines profani. Id nos docet concilium Remense anno 1131 a Papa Innocentio II actum, quod Monachos Canonicosque Regulares

B 5 vetuit

Can. 6.

His. l. 68. §. 9

vetuit leges civiles aut medicinam discere; & adjunxit: Avaritia est, quæ eos inducit, ut Advocati fiant, & causas æquas injustasque agant sine discrimine. Avaritia est, quæ illos impellit ad spernendam curam animarum, ut sanent corpora, & oculos figant in partibus, quas ne memorari quidem patitur pudor. Has inhibitiones repetiit concilium Lateranense anno 1139 ab eodem Papa habitum; & insuper concilium Turo-nense an. 1163 ab Alexandro III celebratum. Religiosis tantum, non Clericis secularibus interdixere artis medicæ ac Jurisprudentiæ professio-nem: quia ad utramque inhabiles erant laici, utpote illiterati.

Hist. l. 68.
S. 54.
Hist. l. 70.
S. 63.

In principio sequentis seculi Re-ligiosis licebat fungi munere Causi-dici pro Regularibus: ut videmus in concilio Parisiensi, cui Legatus Robertus Corsonius an. 1212 præ-erat: & hoc ipsum concilium notat magnam disciplinæ remissionem in cœnobiis utriusque sexus. Magis eam cernimus frequente in concilio
 Late-

Hist. l. 78.

Lateranensi tribus post annis habito: quod ut malo mederetur, comitia generalia quovis triennio celebrari iussit. Sed hoc remedium juvabat parum: & ab illo tempore Monachi & Canonici Regulares suis ab institutis magis magisque desciscere pergebant usque ad ultimas correctiones. Præterea comitiis generalibus suæ sunt difficultates: & major est mentium evagatio, itinerum comes individua: quæ quo longiora sunt, eo majores sumptus postulant. Idcirco monasteriis imponi tributa debent: unde nascuntur murmura & querimoniæ. Et quisnam horum fructus est comitorum? Fiunt nova præscripta; novæ legationes Inspectorum, qui ea executioni mandanda curent; scilicet multiplicantur itinera & impensæ: sed omnia parum juvant: ut seculorum quatuor usu compertum habetur. Nec vero S. Benedictus quidquam simile præcepit, tametsi multa simul coenobia regeret: suus cuique Abbas præerat: & quemlibet Abbatem suum
reco-

recognoscebat Episcopus: qui cum in propinquo esset, præ quovis alio poterat ad observandam regulam illum adigere.

§. VII.

Ordinum religiosorum multiplicatio.

*Can. 13. Ne
nimia. extr.
9. extr. de
relig. dom.*

*Reg. fus.
n. 36.*

Idem concilium Lateranense anno 1215 noluit excogitari novas congregationes sive Ordines; ne nimia eorum varietas confusionem gigneret in Ecclesia; sed, quisquis Ordinem amplecti cuperet, illum jam approbato dare nomen jussit. Hæc inhibitio erat sapientissima, purissimæque antiquitatis genio congruebat. S. Basilius in suis institutionibus quærit, an expediat eodem in loco esse duo cœnobia? Non agit de duobus Ordinibus, sed tantum de duabus domibus ejusdem instituti: ac respondet negando duabus ex rationibus. Prior, ait, est, quod non facile unus aliquis Præses egregius, multo difficilius duo tales inveniantur: altera, quod cœnobiorum mul-
tiple-

tiplicatio fit causa discordiæ. Initio non nisi laudabilem ad imitationem sui stimulabit illud, quod regulam melius observabit: dein æmulatio vertetur in invidiam, contemptum, alienationem animorum: alterum nocere alteri, & ignominiam inurere studebit: tanta est naturæ corruptio.

Ipsi ethnici pro fundamento civilis prudentiæ statuerunt, ut Respublica, quatenus posset, esset una, & omne diffidii semen ex civitate removeretur.

*Plat. Res-
publ. lib. 5.
p. 418. gr.*

Quanto plus enitendum, ut hoc a malo defendatur Christi Ecclesia fundata in concordia & charitate perfecta! Conficit corpus unicum, cuius ille caput est; & cuius membra inter se omnino consentire, aliaque aliis nihil non debent ignoscere.

Quot autem dantur Ordines religiosi, totidem sunt corpora, & quasi totidem Ecclesiæ parvæ in Ecclesia universali. Ex communi hominum sensu nequit fieri, ut Ordo aliquis institutum aliud tanti æstimet, quanti suum facit; & ut quemlibet Religiosum amor sui non impellat ad

ad

ad præferendum, quod elegit, vitæ genus; ad exoptandam societati suæ, quam cuiquam alii, majorem opulentiam & nominis celebritatem; & ad compensandam hoc modo molestiam, quam natura capit ex privatione rerum omnium privato jure possidendarum. Quivis Religiosus id bona fide a se ipso perquirat, velim. Solius æmulatio virtutis si ferveret, num lites de primis partibus, ac de honoribus cerneremus, & tam acres controversias, cujus Ordinis fuerit hic Sanctus, vel author istius libri pii?

*Hist. l. 85.
§. 48.*

Sapientissime proin vetuerat Lateranense concilium, ne novi Ordines instituerentur. Sed decretum ejus tam parum observatum est, ut multo plures admitterentur postea, quam cunctis seculis prioribus. Motæ sunt hac de re querimonix in concilio Lugdunensi sexaginta post annis habito: repetita ibidem interdictio: suppressi quidam Ordines novi: deinde vero introducti alii, & aucti semper fuere.

§. VIII.

§. VIII.

Religiosi Mendicantes.

Nisi novorum Ordinum inventores plerique adscripti Sanctis fuissent: possemus suspicari, amore sui deceptos voluisse præstare aliis, & cogitare subtilius. Sed salva Virorum sanctitate possumus diffidere eorum perspicaciæ, ac timere, ne non omnia sciverint, quæ scire illos decuisset. S. Franciscus suam regulam esse merum Evangelium credebat, adhærens his maxime verbis: *Nolite possidere aurum, neque argentum; non peram in via, neque calceamenta* *Matth. 10. v. 9. 10. Ec.* cumque Papa Innocentius III approbare hoc institutum tam novum cunctaretur, Cardinalis Paulofanensis Sabinensis Episcopus ad eum dicebat: Cave ne rejiciendo hujus viri *Hist. 1. 76. §. 54.* pauperis petitionem rejicias Evangelium. At hic bonus Cardinalis, & Sanctus ipse non satis consideraverant verba, quæ ibi præeunt, ac sequuntur. Christus suos duodecim Apo-

Apo-

Apostolos ad promulgandam doctrinam suam mittens, primum ad eos ait: *Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, daemones ejicite: gratis accepistis; gratis date!* Tum inquit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* Volebat solummodo, ut manifesto patet, eos avertere ab avaritia & cupiditate capiendi ex dono miraculorum lucri, quod haud omisisset Judas: & quid non datum fuisset pro mortui revocatione ad vitam? Christus adjungit: *Dignus enim est operarius cibo suo.* Quasi diceret: Non est, cur metuat, ne vobis desit quidpiam, & ii, quos sanitati aut vitæ restitueritis, vos e-mori fame patiantur. En verum sensum hujus loci Evangelici!

At inde non conficitur communibus impensis alendos esse bonos homines sine miraculis, sine signis missionis extraordinariæ per orbem euntes, ac suadentes poenitentiam: populi que possent dicere: Satis onerati sumus, dum sustentamus pastores ordinarios, quibus decimas, cæterasque

rasque pensiones solvimus. Igitur virtutibus S. Francisci, & primorum ejus discipulorum propriis tribuenda est benedictio, quam Deus laboribus eorum impertiit; sic remunerans ardens animarum salutis studium, perfectam oblivionem commodi privati, profundam demissionem, & patientiam insuperabilem. Peropportune venerunt seculo corruptissimo, ut charitatis & simplicitatis Christianæ formam reducerent, ac supplerent, quod deerat pastoribus ordinariis, quorum plerique inscitia laborabant & ignavia; multi exempla nequitiae præbebant.

Plus, ut videtur, profuisset Ecclesiæ, si Episcopi ac Summi Pontifices minime vocatis in auxilium his adventitiis gregibus Clerum secularem ad sanctimoniam primorum quatuor seculorum revocare serio studuissent; ita ut duo tantum genera sacrorum Deo hominum darentur; & alterum quidem conficerent Clerici ad erudiendos regendosque Christianos destinati, ac Episcopis prorsus

sus obnoxii; alterum vero constaret ex Monachis extra profanas societates positus, ac unice attentis ad precandum Deum, & ad laborandum in silentio. Hujus perfectionis forma seculo decimo tertio in oblivione erat: dolebantque, qui cernebant indignas res, Cleri avaritiam, luxum, vitamque mollem ac voluptariam, etiam cœnobia dotata maculantem.

Videbatur itaque remedium ab opposita extremitate petendum, & abdicanda esse bonorum possessio non tantum privata secundum regulam S. Benedicti hac in re tam severam, sed communis etiam, ita ut monasterio nullus sit redditus fixus. Talis erat status Monachorum Ægypti: nam quem proventum accipere potuissent e sabuletis aridis, quæ incolabant? Qui autem carent redditu, de lucro, vel mendicato vivere debent. Stipem rogitare Monachi desertis in locis haud poterant: igitur laborandum erat: ut faciebant.

Sed Fratres Minores, cæteri-
que Religiosi seculo decimo tertio in-
stituti

stituti elegerunt mendicationem. Non erant Monachi, sed destinati ad ver-
 sandum inter homines profanos, ut errantes in viam reducerent: ita non deerant viri ac foeminae, a quibus stipem sperare possent. Præterea suam vitam vagam, & necessitatem præparandi ea, quæ dicerent ad populum, fociari cum labore manuum posse non putabant. Denique mendicitas eis videbatur abjectior, tanquam societatis humanæ status ultimus, ipsisque bajulis, ac mercenariis quibusvis inferior. Et vero Religiosi sanctissimi illam spreverant eatenus, ac respuerant. Venerabilis Guigo in constitutionibus Carthusianorum odiosam vocat mendicandam necessitatem, & Parisiense concilium anni 1212 voluit Religiosis iter facturis porrigi, unde viverent, ne in dedecus sui Ordinis petere stipem cogerentur.

Verum est: S. Franciscus suis discipulis laborem præceperat, haud permittens mendicationem, nisi ut postremum perfugium. Volo labo-

C 2

rare

c. 70.
Hist. l. 67.
§. 58.

c. 11.

Hist. l. 77. §. 6

Hist. l. 79.

§. 26.

rare, inquit in testamento suo : volo firmiter, omnes Fratres reliquos quendam sibi laborem honestum sumere, ac ignaros discere : nihil solvitur nobis ? confugiamus ad mensam Domini Nostri, vitæ subsidia ostiatim quærendo ! Concludit suum testamentum per apertam inhibitionem, ne Fratres a Papa privilegium aliquod, aut explicationem regulæ ullam postulent. At litigandi, disputandique ardor tunc regnans hanc simplicitatem non admittebat.

§. 63.

A morte sancti Viri tantummodo quadriennium effluxerat : cum Fratres Minores in comitiis anno 1230 habitis a Gregorio IX impetrarunt litteras declarantes se non adstringi ad observandum illius testamentum, ac regulam multis in capitulis explicantes. Sic labor manuum, adeo commendatus in divinis legibus, & ab antiquis Monachis tanti æstimatus incurrit in odium : ac mendicitas antea exosa, evasit honorabilis.

Fateor

Fateor huc multum contulisse virtutem ac doctrinam Fratrum Mendicantium. Correctionem improborum, Christianorumque omnium eruditionem esse instituti sui finem rati litterarum studia pro primario munere suo habebant; & in eis plerosque sui temporis Academicos superabant: quia puriorem sibi fructum proponebant, solam Dei gloriam, & salutem proximi spectantes: contra vero reliqui seu Clerici, seu Monachi sæpe vacabant litteris, ut beneficia & dignitates ecclesiasticas obtinerent. Ita Dominicani Fratresque Minores ab incunabulis suorum Ordinum tantam collegerunt existimationem in vix natis Universitatibus Parisina & Bononiensi: ubi velut seculi sui lumina colebantur Albertus Magnus, Alexander Alensis, ac postea SS. Thomas & Bonaventura. Qualia in se ipsis fuerint hæc litterarum studia, hic non perquiro: id alibi egi: sufficit hos sanctos Religiosos in eis majores fecisse progressus, quam cæteros Academicos.

Diff. 5. §. 2.

Cunctorum simul hominum amorem & observantiam Fratribus Mendicantibus conciliabant virtutes suæ; modestia, paupertatis amor, contemptionis desiderium, propagandæ fidei ardor, per quem adibant ethnicos, Christum sanguinis sui pignore testaturi. Quapropter tam cito & Summis placebant Præsulibus, a quibus tot privilegia impetrabant; & Regibus in deliciis erant, usque adeo, ut S. Ludovicus diceret, si duas in partes dividere se posset, fore, ut Dominicanis alteram, alteram Francisci filiis daret. Uterque Ordo jam inde ab initiis suis Episcopos, ac brevi Cardinales habuit.

Hist. l. 36. §. 6.

*G. de Bello
Loco. c. 12.*

Dominicani primum non tam Ordinem novum, quam novum quendam coetum Canonicorum Regularium conficiebant. Et vero Jacobus Vitriacensis scriptor coævus illos appellat Canonicos Bononienses. S. Dominicus, antequam relinqueret Hispaniam, condereque Ordinem cogitaret, agebat Canonicum Regularem cathedralis Ecclesiæ Auximanæ: atque

*Hist. 1. 78.
S. 54.*

*Hist. Eccl.
c. 27.*

atque Tolofanus ad S. Romanum *Hist. l. 76.*
 Prior dicitur in prima instituti sui ap- *§. 28.*
 probatione; per quam hæc Ecclesia *L. 78. §. 5.*
 confirmatur in possessione suorum
 honorum omnium. Tum demum, *§. 34.*
 cum prima comitia generalia anno
 1220 cum Fratibus suis celebraret
 Dominicus, perfectam omnes pauper-
 tatem amplexi fundos, certosque re-
 ditus abdicarunt exemplo Fratrum
 Minorum: unde factum, ut horum
 instar stipem colligerent. At simpli-
 cius paupertatem, ac nobiliter cole-
 bant: nec inter eos video disputatio-
 nes frivolas de dominio, nudoque u-
 su facti, quæ Fratres Minores tam
 atrociter distrahebant, ac denique
 produxerunt hæresim Fratricello-
 rum.

§. IX.

Paupertas Evangelica.

Hic esset locus accuratissime per-
 tractandi paupertatem Evange-
 licam: nec possemus in hac disquisi-
 tione meliorem sequi ducem, quam

*Comb. auct.
bibl. PP.
p. 163.*

S. Clementem Alexandrinum ab Apostolorum discipulis eruditum. Scripsit librum super hac quæstione: Quis est dives, qui salvus fiet? ibi sic differit: Opulentia est in se indifferens, veluti pulchritudo & robur corporis: hæc sunt quædam species bonorum, & instrumenta, quæ bene aut male adhiberi possunt. Bona profana, quorum copia divitias facit, necessaria sunt materia multorum operum piorum, quæ Christus imperavit. Si recte credentes cunctos illa relinquere juberet, secum ipse pugnaret: ac revera id non præcepit Zachæo: consensit, ut servaret dimidium. E contrario summa inopia ex se malum est potius quam bonum aliquod: est impedimentum virtutis, & mater multarum tentationum vehementium, injustitiæ, corruptionis, impudentiæ, ignaviæ abjectionis animi, ac desperationis: hinc illa vota: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi!*

Luc. 19 v. 8.

Prov. 30. v. 8.

Itaque præceptum vendendi bona omnia non est crasse accipiendum,
nec

nec strictius, quam illud de parentibus odio habendis. Num verum odium in patrem præcipere posset Christus, qui vel inimicos diligere jubet? Per tam nervosam loquendi rationem tantum docere nos vult, etiam charissimos postponendos Deo, atque si opus sit, deserendos esse, ut nos ei addicamus. Sic opes abdicare nos jubens solum adstringit ad comprimendos animi motus ab iis concitari solitos, superbiam, contemptum pauperum, amorem voluptatum sensibus blandientium, desiderium magis semper magisque ditescendi, cæterasque hujusmodi cupiditates. Dives opibus recte utens suis, & instar Jobi eas sine querela perdere nunquam non paratus est verus pauper spiritu, sive secundum mentem. Ita censebat hic magnus Doctor secundi Ecclesiæ seculi: & hæc illius placita longissime præstant hodiernis Theologiæ scholasticæ sophismatibus.

§. X.

*Religiosorum Mendicantium disciplina
solutior.*

Omissis ratiocinationibus spectemus experientiam! Ab obitu S. Francisci effluxerant anni triginta: cum notata jam est magna remissio disciplinæ Ordinum Mendicantium.

Hist. l. 82. §. 7 Non afferam querimonias vel Mat-
Hist. l. 84. thæi Paridis, vel Petri de Vineis Cle-
§. 43. rum secularem tuentis: erant partes,
Opusc. to. 2. quarum res intererat. Contentus
p. 352. ero S. Bonaventuræ testimonio, quod
 nequit esse suspectum. Inest episto-
 læ, quam anno 1257 ut Ordinis Mi-
 nister Generalis ad cunctos Provin-
 ciales & Custodes scripsit. Conque-
 rebatur multitudinem negotiorum, ad
 quæ pecuniam poscerent, quorun-
 dam Fratrum dissidiam, vitam vagam,
 importunitatem in petendo, ædificio-
 rum amplitudinem, & aviditatem dan-
 di sepulturas, ac obtinendi testamen-
 ta: singula merentur considerationes
 aliquas.

Fratres

Fratres Mendicantes sub charitatis obtentu se immiscebant omnis generis negotiis publicis & privatis. Scrutabantur arcana familiarum: suscipiebant executionem testamentorum: obibant legationes ad agitata consilia pacis inter civitates ac Principes: præsertim Summi Pontifices perlibenter illis imponebant ministeria tanquam hominibus ad ea facillime adhibendis, supremæ sedi *Hist. l. 82:* addictissimis, & parvo sumptu pro- *§. 45.* ficisci solitis: interdum eos pecuniam colligere jubebant. Sed maxime illos distinebat Inquisitio: cujus exercitium tametsi ad conservandam fidem spectans eosdem Prætoribus similes faciebat: consueverunt enim quærere de criminibus, capiendos curare reos, addicere carceri, tormentis subijcere, damnatos proscrip- ptis bonis exuere, aut pœna pecuniaria, vel probrosa, & sæpe capitali perlictores Magistratus profani afficere. Non poterat, initio saltem, non mirari, quisquis cernebat Religiosos demissionem profundissimam, paupertatemque

temque professos summam subito conversos esse in Magistratus, habere apparitores, ac domesticos armatos seu custodes, thesaurosque in potestate sua, & omnibus se terrificos reddere.

Contemptus laboris manuum desidiam inter Mendicantes, sicut cæteros inter Regulares induxit. Haud facile cognoscas, an tempus destinatum precationi mentis, ac litterarum studiis fideliter impendatur. In nixi genibus, & in membrorum situ ad contemplanda divina aptissimo possumus cogitare, quidquid volumus. Religiosus in sua cellula potest, quasi litteris navet operam, legere libros, non dicam malos, sed inutiles, ac soli curiositati explendæ habiles: denique oscitare potest, ac obdormiscere. Aliter se res habet in labore: sentitur iste; ac opus restans ei fidem facit. Sed neque communia sunt ingenia litteris idonea: plerique homines parum amant ratiocinationem, meditationemque continuam; nec multum curiosi sunt, nisi forte

forte in perquirendis rebus novis, & ignobilibus privatisque factis, quæ judiciis temerariis, & obtrectationibus dare materiam solent. Veteres litteraturam colere sciebant, & melius, quam hodierni: ut illorum scripta testantur: & tamen SS. Basilius *Hist. l. 14. §. 2.* & Gregorius Nazianzenus in solitudine sua non dedignabantur labores vilissimos. Potest honoris aura captari ex composito libro egregio: sed nulla unquam laus quæsitâ fuit e storeis aut fiscinis: talia opera possunt per diem totum fieri: non ingenium serenum, non animum fedatiorem postulant.

Tertius error, quem S. Bonaventura Fratribus suis exprobrat, est vaga multorum vita, qui ut suis corporibus, ait, levamentum afferant, oneri & offensionis sunt hospitibus suis, quibus exemplo esse bono deberent. Hoc incommodum creant frequentia nimis itinera; dum præbent ansam excedendi modum in victu & somno per speciem refectionis virium; ac æquabilitatem vitæ regularis

ris

ris dissolvunt. Quartus error est importunitas in petendo, quæ facit, ut nostrorum Fratrum, veluti prædonum occurfus metuatur, inquit S. Bonaventura. Reapse hæc importunitas est quædam violentiæ species, cui pauci resistere norunt; præsertim si veniat ab iis, quorum vestis & institutum reverentiam poscunt, sed & naturalis est effectus inopiæ. Nam denique oportet alere vitam: principio fames, ac reliquæ necessitates urgentes efficiunt, ut vincatur educationis honestæ verecundia: quo obice semel convulso, qui plus industriæ, quam alius, ad corrogandam stipem adhibet, id laudi sibi & honori ducit.

Ampla & visenda ædificia, pergit S. Doctor, nostram obturbant solitudinem; incommodant amicis nostris; & acerbis hominum judiciis nos exponunt. Fratrum tranquillitati officiant per curas & operam, quam Præsides & ab his designati sibi sumere debent, ut diversas ædium adumbrationes seu descriptas lineis
figuras

figuras examinent; ut invigilent executioni; ac præcipue, ut sumptus suggerant certo reditu destituti: & hoc est, quod molestiam amicis exhibet. At quamdiu continuatur opus, totam congregationem impediunt materia & operarii. Amara hominum judicia de his domibus factis exprimit Petrus de Vineis inquiens: Hi Fratres in ortu religionis *lib. 1. Epist.* suæ gloriam vanam calcare pedibus *37. Hist. 1. 82.* visi contemptum resumunt fastum; *§. 4.* & nihil habentes possident omnia, ipsis divitibus ditiores. Denique S. Bonaventura Fratribus suis objicit humationum testamentorumque aviditatem, quippe quæ ipsis indignationem Cleri, & maxime Parochorum accersat. Qua de re Matthæus quoque Paris ita queritur: Moribundis Proceribus ac viris bene nummatis non sine damno pastorum ordinario- rum sedulo adsunt in lucrum intenti, occultaque testamenta extorquent, solum Ordinem suum commendantes, quem reliquis cunctis præferunt.

§. XI.

Fratrum Minorum discordia.

*Hist. l. 89.
S. 3. 31.*

*Hist. l. 86.
S. 2.*

*Hist. l. 87.
S. 33.*

*Hist. l. 93.
S. 14.*

At post obitum S. Bonaventuræ Fratrum Minorum disciplinam haud modice laxavit infausta dissensio Ordinem dividens Fratres Spirituales inter & Fratres Communis Observationis. Bonus Papa S. Cælestinus studiosior disciplinæ quam prudentior hoc dissidium autoritate firmavit sua; dum congregationem pauperum Eremitarum Fratri Liberato parentium approbavit. Ad summam vero acerbiteriam discordiam deduxit notissima disceptatio de dominio rerum usu pereuntium, qualis est panis victusque reliquus. S. Bonaventura ipse asseruit Fratres Minores abdicare hoc dominium, idque transire ad Papam & Romanam Ecclesiam: quod etiam accepit Papa Nicolaus III. Sed Joannes XXII rejecit hoc dominium imaginarium; & declaravit simplicem usum facti (intra quem continere se volebant falsi Speri-

Spirituales) esse usum iniquum, utpote omni exutum jure.

Afirmavit obedientiam esse Regularium virtutem præcipuam & paupertati anteferendam. Nam hi fratres indociles contendebant non esse parendum Præsidibus, quando id, quod præciperent, obstaret perfectioni. Is erat fructus disputationum scholasticarum, in quibus hi Fratres assidue se exercebant: tractabantur ibi novæ quotidie quæstiones: & quæcunque excogitari poterant, subtilitates; ac disceptandi rationes subdolæ adhibebantur. Quærebatur exempli gratia, an regula obliget sub peccato gravi, aut leviori? an adstringat ad consilia Evangelica sicut ad præcepta? an id, quod præscribit ad modum moniti, aut exhortationis, vel doctrinæ, obstringat pariter ac illud, quod verbis imperantibus effert? Inde venit consuetudo scrutandi minutius præcepta Dei ac Evangelium.

Effectus harum disputationum futilium nimio plus graves ac serii fuerunt.

Hist. Eccles. Tom. XXIV.

D re.

Hist. l. 92.

§. 34.

Cap. de verb.

sign. in 6.

Clem. Exivi

eod.

re. Cum Papa Joannes XXII hos fratres indociles damnare ausus esset; tantum authoritatis arrogabant sibi, ut eum dicerent hæreticum, ab ejusdem sanctionibus ad futurum concilium appellantes. Demum eo usque processit seditio, ut isti Fratres Minores ab Imperatore Ludovico Bavaro suffulti curarent Joannem XXII exauthorari, & in ejus locum substitui antipapam e suo numero Petrum Corbarium: qui ut dignitatem sustineret suam, corrogare, quæ poterat, undecunque coactus est: huc recidit illorum fratrum demissio, ardens studium paupertatis, ac perfectio Evangelica.

Cæterum, etsi Religiosorum mendicitatem non ante seculum decimum tertium authoritate sua firmavit Ecclesia; inventio tamen illius haud fuit nova. Omni tempore conspecti sunt mendicantes etiam sub obtentu philosophiæ aut religionis. Victum precariousque conquirebant philosophi Cynici: cernebaturque aliquando Diogenes stipem a statua petens, se in repulsa ferent-

*Hist. l. 93.
§. 46. 47.*

*Diog. Laert.
Har. 80. n. 4
5. 6.*

ferenda exercendi gratia, ut aiebat.
 Hæretici Massaliani S. Epiphano *Hist. l. 19.*
 præbebant ansam notandi mendican- *§. 25.*
 tium difficultates; turpe studium pla-
 cendi habentibus opes, etiam si male
 sint partæ, officiosas aditiones mu-
 tuas, assentationes, colloquia de re-
 bus novis, aliisque argumentis profa-
 nis, omniumque obsequiorum pessim-
 um, nempe facilitatem absolvendi a
 flagitiis, & infirmationem Theologiæ
 moralis. Guilielmus Durantius Epis- *Hist. l. 91.*
 copus Mimatensis in suis monitis ad *§. 52.*
 concilium Viennense spectantibus
 magni esse sibi Fratres Mendicantes
 significat: sed addit eorum inopiam
 levari debere ita, ut sufficientes re-
 ditus communes possideant, aut ex
 labore manuum suarum vivant velut
 Apostoli.

§. XII.

Religiosæ disciplinæ remissio generalis.

Monachi cæterique Religiosi vete-
 res magnum in contemptum venie-
 bant ex illo tempore, quo intro-
 ducti

ducti sunt Mendicantes. Non illos amplius, ut olim, venerabiles reddebant suus amor solitudinis, sua frugalitas, sua commodorum oblivio: plerique indulgebant otio & mollitiæ: atque ipsa litterarum studia, quæ pro labore manuum substituerant, admodum languebant: verbo: Ecclesiæ haud multum prodesse videbantur. E contrario Fratres Mendicantes tenebant scholarum templorumque cathedras; ac per indefessos labores suos Præsulum cæterorumque pastorum negligentiam & inscitiam supplebant. Is contemptus Monachos antiquos ad sublevandas inter se disciplinas excitavit: ut vidimus in collegio Cisterciensium Parisiis condito: & Papa Benedictus XII in litteris ad corrigendos Monachos Nigros editis late in horum studia excurrit.

At quia extra Universitates fructuosa litteris opera dari posse tum temporis non credebatur, illuc mittebantur Monachi: sic rursus horum disciplinam laxabant mentium evagationes inter itinera, inevitabilis congressus

Hist. l. 82.
§. 47.

Hist. l. 94.
§. 48.

gressus cum Academicis secularibus ex parte maxima parum bene moratis, vanitas graduum honoris ex doctrina, & prærogativæ, quas hi dabant, in cœnobiis. Generatim vero Monachi non magnæ solum regulæ, sed Cluniacenses etiam, ac Cistercienses a pristina & severa institutione multum desciverant. Etenim, *Hist. l. 81. §. 12.* ut nos edocet concilium anno 1238 Conaci habitum, Monachi & Canonici Regulares pro victu vestituque suo pecuniam accipiebant, ita, ut eorum munia essent veluti parva quædam beneficia. Monachi non dubitabant sine permissu Præsidum exire foras, comedere in domibus civium, ibi se abdere, pecuniam quasi propriam tenere, suo nomine mutuum sumere, pro aliis prædes agere, vesci carnibus, subuculis linteis uti, pernoctare in cellulis sive cubiculis peculiaribus.

Hic mihi videtur esse locus discutendi causas seu potius obtentus remissæ disciplinæ cœnobiticæ, quorum communissimos inter ac specio-

D 3 fiffimos

fissimos est naturæ imbecillitas. Corpora jam non sunt talia, inquit, qualia fuere ante annos millenis plures tempore SS. Antonii ac Benedicti: homines jam non vivunt tamdiu; nec pares habent vires. Est opinio jam antiquitus impressa animis, & quæ in Homero ac Virgilio legitur; sed nempe mera est opinio, non tantum carens fundamento, sed factis constantibus everfa. Ætate Moysis abhinc annos ter mille ac plures vita humana continebatur annis centum, aut centum viginti; & tamen *Pfal. 89. v. 10* in psalmo illius nomen præferente redigitur ad septuaginta, vel octoginta annos. Percurre historias omnes! vix unum ibi hominem, qui intra posteriora triginta secula diutius vixerit, invenies, nisi forte antiquos Monachos: atque ut in Gallia maneamus: intra tredecim monarchiæ secula, Regum nostrorum nullus tamdiu vixit, ut hodierni antecessor proximus.

Igitur deponenda est hæc opinio popularis, quæ tantam disciplinæ remissio-

missionem non solum inter Religiosos, sed in totam induxit Ecclesiam. Hoc ex errore profluxit libertas quatuor aut quinque horis anticipandi cœnam dierum jejunii, eique addendi alteram. Seculo duodecimo Petrus Venerabilis, ut inclinatum Cluniacensium disciplinam excusaret, naturam humanam post ætatem S. Benedicti debilitatam esse dicebat: & *Hist. l. 67. §. 50.* tamen S. Bernardus eodem tempore testabatur Christianos adhuc omnes jejunii verni diebus sumptionem cibi usque ad vesperum distulisse. Nilominus ob hanc opinionem falsam cœna translata fuit a vespere in nonam (sive tertiam pomeridianam) ut erat tempore S. Thomæ Aquinatis, *S. Th. 2. 2. q. 147. a. 7.* & a nona ad meridiem, ut etiamnum est: nec ulla congregatio regularis, quantumvis severa, priscum retinuit morem.

Religiosæ disciplinæ remissæ causa generalissima est levitas ingenii humani, & raritas hominum in susceptis consiliis constanter manentium. Ea naturæ mobilitas ut comprimeretur,

tam sapienter introducta sunt vota, in quibus cardo regularium institutorum vertitur. Ne autem vota hæc essent temeraria, pari sapientia præscripta erant rigida experimenta.

*S. Th. 2. 2.
q. 189. art. 9.
Cass. l. 4. In-
stit. c. 3.*

Tantum aberat, ut antiqui ad vitam religiosam homines profanos allicerent (quod non licitum modo, sed dignum cælo credidit ætas ultima) ut etiam omnes adhiberent modos idoneos deterrendis iis, quibus hunc vitæ gradum non assignasset Deus: & S. Benedictus illud diserte præcipit.

Reg. c. 58.

Nempe haud opus est dari Religiosos in Ecclesia: sed quando dantur, debent tendere ad perfectionem: nec eis licet amplius esse Christianos mediocres. Beatus Guigo Carthusianus merito agebat: Cum arcta sit via, quæ ad vitam ducit, & pauci eam inveniunt: Ordo religiosus, qui recipit paucissimos, est optimus, ac sublimissimus: & qui plurimos admittit, est minime omnium æstimabilis.

c. 80. n. 12.

*Hist. l. 67.
S. 58.*

Itaque Monachus in observanda regula sua remissus secum ipse perpetuo pugnat. Spopondit Deo vitam
tam

tam in solitudine, ac silentio ducendam: & quærit societates atque colloquia: res novas scitatur, & spargit ipse. Promisit fore, ut accuratam coleret paupertatem, ac intra necessaria se contineret: gaudet tamen habere se privatim librum aliquem, modicam supellectilem quandam, non nihil pecuniæ, cubiculum aliis elegantius & commodius. Interest rei divinæ, sed occasiones subducendi se amat: vel illam celeriter conficit, quasi postea gesturus negotium majoris ponderis. Omitto disciplinæ laxamenta magis subjecta sensibus: taceo de Religiosis, qui suam vestem, suumque institutum erubescere videntur, ac se obtegunt, ut, quam possunt, proxime accedant ad speciem hominum profanorum; & qui se faciunt lepidos ac facetos mensarum atque itinerum socios, seque curant quæri ad condicendum locum ac tempus oblectationum.

Alii magis serii dexteritate quadam singulari pollere cupiunt: hic novit arcana totius facultati medicæ in-

D 5 cognita:

cognita: ille excellit in mathematicis, in architectura, vel alia in arte, ob quam expetitur: tertius scit tractare negotia tum publica, tum privata; nec familiis solum, sed civitatibus etiam regendis par est, aut *Luc. 9. v. 62.* esse videtur sibi. Hos omnes pono in numero illorum, qui retro respiciunt, postquam ad aratrum manum miserunt suam. Cur enim res terrenas reliquerunt, eoque postea per tot portas redeunt? Nihil præterquam oblivisci hominum profanorum, & iis prorsus esse in oblivione vult verus Monachus, ac secundum proportionem quivis alius Religiosus.

*S. Thom. In-
trod. S.
Fr. S.*

Inter disciplinæ remissæ causas refero relaxationes animi postremis temporibus intròductas: etenim nec Benedictina, nec alia ulla, quam sciam, regula vetus de illis vel unico verbo meminit. Hic mos videtur niti sententia quorundam Theologorum recentium, qui post applicationem ingenii colloquium liberum ac hilare, instar quietis post laborem corporis, esse levamen necessarium credidere;

didere; usumque bonum illius relaxationis appellarunt virtutem, nominatim Eutrapeliam. Sed non viderunt hanc virtutem commentitiam ex Aristotele depromptam a S. Paulo inter vitia poni sub eodem nomine Eutrapeliæ. Fallebantur scilicet, cum ignari linguæ Græcæ in Latina interpretatione D. Pauli tantum conspicerent vocem *scurrilitas*, quam ipsi quoque vitiorum nominibus annumerarunt: sic idem S. Pauli vocabulum Latine vitium, Græce virtutem significat. En relaxationum animi fontem, si bene conjicio.

Reapse abest a vero, colloquium esse opus, ut nos ab applicatione ingenii recolligamus. Plus eo confert motus corporis, veluti ambulatio, vel moderatus labor aliquis: quia talis commotio collectos & agitados in cerebro spiritus animales in remotas partes avertit. Contra vero colloquium continuat, ac sæpe auget hanc spirituum agitationem: ut silentio præteream tentationes, quibus exponit, amaros sales, obtreccationes, teme-

S. Th.

temeraria judicia de rebus Ecclesiæ aut regni: nam ex publicis rerum novarum commentariis sæpe capiuntur argumenta recreandi animos. Provoco ad experientiam, & oro Regulares, ut cogitent, quænam sit consuetissima materia suarum confessionum tam frequentium.

Metuo quoque, ne corporis afflictationes postremis seculis tam usitatae dederint ansam remittendæ disciplinæ. Nec enim certa sunt virtutis indicia: sine demissione, sine charitate possumus ire nudis pedibus, gestare cilicium, ac tergum flagellis cædere. Amor sui, qui corrumpit omnia, infirmæ mentis homini persuadere potest, ipsum esse sanctum hæc exteriora pietatis genera exercendo: atque ut rependat ea, quæ inde suffert, forsan tentabitur ad petendum aliunde levamen aliquod vel oblectamentum licitum. Sunt demum, qui putent se posse compensationem quandam facere, ut ille Italus, qui rogatus, quid ageret, reponerat: Nonnihil boni, tantundem mali:

mali: nobis veniam dabit misericors Deus. Aliter divinus codex loquitur: *Declina a malo, inquit, & fac bonum!* nos jubet abstinere a peccando, antequam faciamus bona opera, si hæc nobis esse utilia velimus. Denique veterum Ægypti Monachorum ratio vivendi sibi constanter similis mihi pluris est quam vita Religiosi discalceati, qui, postquam flagris castigavit corpus, magno convivio lætus affidet, ibique festivo ingenio nitere studet.

Ps. 33.

§. XIII.

Exemptiones.

Ex præcipuis religiosæ disciplinæ remissæ causis una fuerunt sine dubio exemptiones: ut S. Bernardus optime notaverat. Legisti, quid de his dicat, in duobus præsertim locis, scilicet in sua ad Henricum Archiepiscopum Senonensem epistola de officiis Episcoporum; & in suo ad Papam Eugenium libro de Consideratione: in illa de Abbatibus & Monachis.

Opusc. 2.

c. 35.

Hist. 1. 67.

§. 57.

c. 4.

Hist. 1. 69.

§. 57.

Mona-

Monachis exemptiones obtinentibus, in hoc de Papis eas concedentibus conqueritur. Quin eo usque procedit, ut dubitet, an Papa earum potestatem habeat: cujus fundamentum revera vix cerno nisi, quam decretales falsæ præbuerunt, opinionem confusam, Papam posse omnia. Sed incommoda exemptionum sub sensum cadunt. Non habent superiorem, qui tam remotum habent & tam occupatum rebus majoris ponderis: sic offertur occasio spernendi Episcopos atque Clerum eis obnoxium: sic fit discordia in Ecclesia, dum formatur hierarchia singularis. Vide controversiam tempore concilii Viennensis hac de materia motam inter Ægidium Romanum Bituricensem Archiepiscopum exemptiones Monachorum impugnantem, & Abbatem Challiacensem eas tuentem.

*Hist. l. 91.
§. 53.*

At hic Abbas strenue oppugnabat exemptiones Mendicantium Clero seculari odiosissimas propterea, quod hi Fratres ex suis privilegiis factita-

titarent plerasque functiones eccle-
 siasticas: quibus se tunc Monachi
 parum immiscebant. Et vero Fra-
 tres Mendicantes erant ii, qui Papæ
 auctoritatem nimium quantum pro-
 tendebant. Inspice, quæ attuli, ex-
 cerptâ ex Augustino Trionfo Augu-
 stiniano, & ex Alvaro Pelagio Or-
 dinis Minorum. Papæ potestatem
 extollendo nimium faciebant exo-
 sam, dum contendebant, illum non
 modo dignitate præstare cunctis Re-
 gibus, verum etiam reipsa posse eri-
 gere, transferre, aut suppressere re-
 gna & imperia, instituere, corrige-
 re, vel exauthorare summos Princi-
 pes; ita, ut ex illorum systemate u-
 nicum in orbe toto daretur supre-
 mum caput, quod potestatem sacram
 per se ipsum & Clericos, quibus
 partem ejus aliquam committeret,
 profanam vero per laicos exerce-
 ret, in quos eam deonerare vellet.
 Hoc non est Evangelii systema, nec
 dogma primis a seculis ad nos trans-
 missum.

Hist. l. 93.

§. 43.

l. 94. § 25.

Nova

Nova Regularium exemptorum hierarchia molestos habuit effectus & in corpore suo, & in tota Ecclesia. Intus occupabat illos magno-pere suorum regimen, celebratio comitiorum generalium partim, partim provincialium, electio Præsidentum, ac reliquorum, qui gererent munera. Religiosi facti sunt sagaces in rebus administrandis, attentiores ad negotia Ordinis, vel congregationis, quam ad privatam perfectionem suam, & salutem proximi, si ad hanc promovendam vocati sunt. Conflant conspirationes, ut acquirant officia, huc provehant, vel excludant inde alios: dant operam, ut transeant aliud ad coenobium, ac sequantur Præsidentem amicum sibi, aut evitent ingratum: quæ omnia labefactant solitudinem, silentium, & animi tranquillitatem, vitæ regularis cardinem. His tentationibus potissimum expositi sunt Fratres Mendicantes, & cæteri, qui sæpe alios accipiunt Præsides, nec fixam habent sedem: nihil stabilitate priscorum sapientibus. Qui amant
muta-

mutationem, actionemque, inter homines profanos maneant!

Animi demissionem minuit discrimen inter Fratres. Ordinis Præpositus Generalis se suspicit quasi Præfulem quendam ac Dominum: & aliqui hos sibi titulos, iisque consentaneum rerum apparatus asciscunt. Præses Provincialis se putat propemodum dominari in totum provinciæ suæ populum; & nonnullis in Ordinibus finito tempore suo servat titulum *Exprovincialis*. In electionum intervallis propinqua comitia agitant animos: sunt, qui clandestina consilia fœdera que ineant pro se vel pro aliis, interdum vero ducti studio curandi emolumentum Ordinis, exactamque sacrarum legum observationem; sæpe per amorem sui, aut naturalem inquietudinem pii fervoris nomine tectam: & hæc inquires est filia desidiæ.

Posteaquam labor manuum in contemptum & oblivionem venerat, Regulares dotati plerique pigritiæ atque crapulæ se dederunt præsertim

Histor. Eccles. Tom. XXIV. E fri-

frigidis in regionibus. Mendicantes, maxime in terris, ubi acriora & novarum cupidiora rerum sunt ingenia, secuti sunt studia curiosa, argutias & subtilitates Theologiæ scholasticæ, vel occultas artes & astutias politiæ monasticæ, de qua loquor. Ordini religioso nomen datur amplificandæ fortunæ gratia. In Italia, exempli causa, Dominicanus quidam litteris operam impendit suam, sperans se futurum esse Romæ Theologum Cardinalis cujuscumque, Consultorem in congregatione aliqua, Inquisitorem, Episcopum, Nuncium, ac denique Cardinalem: vel si suum intra Ordinem se continet, concipit spem ibi gradatim ascendendi ad dignitates primarias: atque is dicitur magnum habere animum & industriam.

Disciplinæ remissio generalis produxit mitigationes seu per solam tolerantiam, seu per claras constitutiones datas duritiæ mentium, & importunitati Regularium, ac ex parte maxima fundatas in credita infirmitate naturæ: quem obtentum satis

con-

confutasse me arbitror, ac demon-
strasse, non corpora sed animos esse
fractos. Imperfecti Religiosi crede-
bantur esse pluris, quam plerique ho-
mines profani: & qui amplexi sunt
regulam mitigatam, plerumque satis
habent non infra eam cadere. Hæc
non est mens Evangelii, Christus ad
omnes discipulos suos, scilicet cun-
ctos ad Christianos inquit: *Estote* Matth. 5.
perfecti, sicut & Pater vester cælestis v. 48.
perfectus est: Ac iterum: Contendi- Luc. 13. v. 24
te intrare per angustam portam: quia
multi, dico vobis, quærent intrare, &
non poterunt.

Ajo proinde, cum quilibet Chri-
stianus tendere ad perfectionem pro
ratione status sui debeat, satius esse
inter homines profanos manere, ac
passus quotidie aliquos ad perfectio-
nem facere, quam intra perfugium
monasticum & sub veste religiosa
confidere in otio, quasi nuncupatio
votorum salutem jam certam reddi-
disset. Hos Regulares tepidos, &
quod ad perfectionem attinet, indiffe-
rentes vix pluris facio, quam mor-
tuos

tuos amictu religioso indutos per pietatem Hispanicam. Regulam profiteri, & imperfecte solummodo observare est quædam assimulatæ virtutis species; est quærere honorem vitæ supra communem probæ, sed nolle onera ejus perferre, quod illius dignitatem efficit. Dum perfectionem status sui extollebant Regulares, ad perfectionem veram eniti mittebant: putabant, ut videtur, se hanc cum veste sua induisse. Hac opinione ducti spernebant cunctos a legibus religiosis liberos, etiam Sacerdotes ac Episcopos, quibus carere se posse credebant extra consecrationis ceremoniam.

§. XIV.

Infirmatio Theologiæ Moralis.

Regularium tepor sine dubio multum nocuit Christianis omnibus. Homines profani ajebant: Si hanc & hanc rem sibi permittunt ii, qui præbere perfectionis exempla debent, nobis plus indulgere possumus: si non malam judicant istam, & istam actio-

actionem, haud oportet nos esse scrupulosiores. Eodem ex fonte manasse censeo infirmationem Theologiae Moralis per quatuor aut quinque secula factam. Qui postremis his seculis de moribus scripserunt, plerique erant Religiosi, & Mendicantes quidem, qui fere soli possessionem litterarum tenebant, ac poenitentiam administrabant. Mendicitas vero magnopere obstat severitati & constantiae adversus Mecænates suos.

Præterea hi Theologi Morales de vetere disciplina poenitentiae nihil noverant nisi modicum illud, quod cernitur in decreto Gratiani: nec enim altius rem repetebant, ut patet ex scriptorum locis, quos proferunt. Nec antiquos de poenitentia canones, nec varios ejusdem gradus sciebant, nec solidas rationes, ob quas hi erant positi. Sic regnare peccata præter mentem sinebant suam excusando pleraque, & absolutionem ab illis reddendo facilem. Tollit peccatum, saltem in opinione hominum, quisquis hos docet id, quod pro delicto habebant,

bant, non esse noxam: hoc Theologi hodierni voluerunt facere per suas distinctiones ac subtilitates scholasticas, præsertim per doctrinam de probabilitate.

Peccatis, quæ nequeunt excusari, mederi se putant facili absolute, quam nunquam denegant, ac ne differunt quidem, quotiescunque iterentur lapsus. Ita voti damnatur homo vitiis coopertus, & agit, quod vult, postquam audit se revera peccare, sed remedium esse facile; ac se posse peccare quotidie, si quotidie confiteatur. Sed hæc absolvendi facilitas videtur necessaria in terris Inquisitioni obnoxiiis; ubi flagitiis affuetus homo, qui se non vult corrigere, Paschatis tamen tempore officio suo deesse non audet, ut ne denuncietur cœtu piorum motus, post anni spatium suspectus de hæresi declaretur, & tanquam talis exagitetur in iudicio. Et verò iisdem in regionibus vivebant illi Theologi, qui morum habenas maxime remittebant.

Hæc

Hæc absolutionum facilitas quodammodo in nihilum redigit peccatum: quia ejus horrorem abolet, facitque, ut id habeatur pro malo non communi tantum, sed etiam inevitabili. Quis timeret febrim, si hanc depelleret exhaustum vitrum aquæ? Quam crebra essent furta vel homicidia, si pro eis satisfaceret per lavationem manuum! Confessio est prope modum æque facilis, si sufficit Sacerdoti verbum in aurem dicere; si nec dilatio absolutionis, nec satisfactio ardua, nec occasionis vitandæ necessitas metui debet. At sine sensu a proposito digredior.

§. XV.

Nova pietatis genera.

Adjungam tamen etiam nova quædam pietatis genera per quosdam Religiosos introducta fecisse ad minuendum horrorem peccati, ac negligendam morum emendationem. Gestare Mariani mancipatus tesseram scapularem, quotidie SS. Virginem salutando sacram coronam absolvere,

aut aliquam precationem celebrem dicere potest, qui non ignoscit inimico suo, non restituit bonum male acquisitum, non abdicat concubinam: en pietatis genera populo chara, sed mores non corrigentia. Et tamen quia ea exercent, se pluris aestimant quam alium, qui hæc omittit, blandiunturque sibi ob eadem bonam sperando mortem: nec enim ad frugem redeunt, quamdiu ætate florent, & commoda utuntur valetudine: res nimis magno constaret. Unde fit etiam, ut augustissimam Eucharistiam externa pietate colant, ac expositam adorare, comitarique in supplicatione publica, quam decenter suscipere malint.

Sublato labore manuum Regulares summopere extulerunt mentis precationem; quæ profecto est anima religionis Christianæ: cum sit verum exercitium præscriptæ ipso a Christo adorationis *in spiritu & veritate*. Sed facile fit abusus ejus: atque in hoc præcipue consistebat Massalianorum hæresis quarto seculo

Joan. 4.
v. 23.

lo damnata: quibus Catholici maxi- *Hist. l. 19.*
 me exprobrabant contemptum labo- *S. 25.*
 ris, ac mendicitatis. Ultimorum
 temporum Fratricelli illis erant si-
 millimi: & ipsi Catholici precatio-
 nem mentis multis erroribus præte-
 xuerunt. Quando inter precandum
 storeas semper ac fiscinas conficiebat
 Monachus Ægyptius, patebat satis
 eum non perdere suum tempus: at
 solus cognoscit Deus, ad quid hoc
 impendat ille, qui per horam unam
 vel duas genibus innitens, brachiis
 inter se commissis effingit crucem.

Porro hæc pietas otiosa, ideoque
 ambigua per quingentos circiter an-
 nos fuit communissima, præsertim
 scæminis natura pigrioribus, acrio-
 remque habentibus phantasiâ. Hinc
 factum, ut vitæ Sanctarum his po-
 stremis seculis celebrium, S. Birgit-
 tæ, S. Catharinæ Senensis, B. An-
 gelæ Fulginianæ solas fere cogitatio-
 nes ac sermones ipsarum contineant
 sine ullo facto memorabili. Hæ
 Sanctæ sine dubio multum temporis
 infumebant in animi sensus intimos

aperiendos conscientiae Moderatoribus: qui favore in filias, quarum virtutem noverant, præoccupati facile cogitationes earum pro arcanis divinitus cognitis, & quæ iis extraordinaria contigerant, pro miraculis accipiebant.

Moderatores illi Theologiæ scholasticæ tunc regnantis methodum ac subtilitates, quibus eruditi fuerant, applicabant ad mentis precationem; ex qua artem longam & difficilem faciebant, volebantque diversos status precationis, & gradus progressionis ad perfectionem Christianam accurate distinguere. Et quia diuturnus mos ferebat quoslibet divini codicis locos in sensus figuratos, cum litterarius nesciretur, avertere: hi Doctores inveniebant ibi, quæ cupiebant, omnia: sic formata est Theologia mystica, quam videmus in scriptis Rusbrœchii, Tauleri, authorumque similium. Affectando argutias sæpe adhibebant duras eloquendi rationes; & proferebant paradoxa, quibus ægre dabatur sensus fa-
nus:

nus : illa, quæ Ecardus Dominica-^{Hist. l. 93.}
 nus proposuit, Papa Joannes XXII^{§. 59.}
 condemnavit.

Hæc immoderatio protensa lon-^{L. 91. §. 58.}
 gius ineunte eodem seculo produxe-
 rat errores Beguardorum ac Begu-
 linorum in concilio Viennensi damna-
 tos : nec abs re dixerim, dæmonem
 cunctis temporibus eadem arte fuisse
 usum, ut homines sub obtentu altissi-
 mæ perfectionis in vitia crassissima
 & probrosissima immergeret. Talis
 secundo seculo erat Carpocras cum
 falsis suis Gnosticis : & talis nostra
 ætate fuit Molinius cum Quietistis
 suis. Alius tantæ immoderationis
 effectus est superstitione fanatica; qua
 decimo quarto seculo tenuit Gre-^{l. 3. c. 20.}
 gorium Palamantem & Monachos
 Græcos montis Athonis ; nulla ibi
 mollities, sed superbia, & pertinacia
 cernitur insuperabilis. ^{l. 95. §. 9.}

Redeamus igitur ad adorationem
 in spiritu & veritate, scilicet ad pre-
 cationem simplicem ac solidam, qua-
 lem videmus in Ecclesiæ temporibus

bus

bus primis, versantem, & fundatam in veritatibus fidei, ac litteris divinis, non in opinionibus scholæ, historiis fabulosis, aut expressis rerum imaginibus, quales sanctus Bonaventura exhibuit; precationem denique consistentem potius in affectibus animi, quam in cogitationibus, ut ait S. Augustinus, ac recta tendentem eo, ut nos reddat meliores.

*Epist. ad
Prob.*

Dicamus etiam verbum de pre-
catione publica, quæ ante aliquot
secula facta est præcipua Religioso-
rum occupatio. Petamus a Deo, ut
hæc sit precatio vera; ut tantum
ac externas ceremonias sustentet &
animet sincera pietas; ut possimus
cum S. Paulo dicere: *Pfallam spiritu,
pfallam & mente*; scilicet ut natura-
lem actionem animæ motus gratiæ
comitetur: alioqui cantus est mera
functio pectoris, & sonus similis so-
no organi pneumatici, cæterorum-
que instrumentorum musices inanima-
torum, nec amplius est precatio. Ut
sit precatio seria, observanda potius
verba sunt, quam notæ musicæ: di-
scen-

scendus sedulo sensus litterarius psal-
morum, ac reliquarum divini officii
partium, ut intelligantur saltem, quæ
dicuntur.

Debemus, quantum possumus, ca-
vere, ne hæreticis relinquamus ob-
tentum aliquem, sub quo fingerent
pietatem esse novum inventum Mo-
nachorum utilitatis causa, vel ex aliis
incitamentis humanis introductum.
Igitur usque ad prima Ecclesiæ secu-
la redeundum est, atque considerata
vita, quam S. Clemens Alexandrinus *Hist. l. 4.*
in suo Pædagogo Christianis omni-
bus proposuit, ac perfecti (Gnosti-
cum vocat) Christiani imago, quam
in Stromatibus pinxit suis: fecit au-
tem utrumque opus, antequam da-
rentur Monachi. Ibi cernimus ve-
ram pietatem non esse astum postre-
morum temporum, sed usum doctri-
næ ab Apostolis traditæ, ac perquam
fideliter transmissæ ad posteros. Ibi
videmus pietatem fervidam, nobilem,
solidam, & maxime diversam a mi-
nutiis, quæ abeunt in superstitionem;
pieta-

pietatem denique iis solis propriam,
qui serio volunt fieri meliores.

Hic finio meas considerationes
status Regularium: & cum satis vi-
deam rem esse tristem eos relinqui
in disciplinae remissione sub initium
seculi quinti decimi regnante; signi-
fico Lectori, per sequentia tria se-
cula plerosque Ordines e disciplina
solutiore ad veterem sanctimoniam
revocatos esse, ac præbe-
re nobis exempla
optima.



HISTO-